

Π n
7940

In memoria m

B. G. Hanneken

1706





MEMORIAM
 VIRI
 ADMODUM REVERENDI, AMPLISSIMI, ET PRAECLARISSIMI,
 DOMINI
 M. BALTHA-
 SARIS GERHARDI
 HANNEKENII,
 PASTORIS TEMPLI D. MARIAE SACRI
 MERITISSIMI, GRAVISSIMI,
 LECTURIS,
 S. P. D.
 ENOCHUS SVANTENIUS, R.

LUBECÆ,

Literis Viduæ B. SCHMALHERTZII,





Am in omni mortalitatis cursu conservari vicissitudinem, eam constantissimè reciprocari commutationem, ut modò aliquis, vel aliquid, aspicitur, aut non ultrà appareat, enitescat, aut abcondatur, resplendeat, aut obscuretur: tam personarum quàm rerum stata solennisque conditio & varietas luculentissimè testificantur. Innumerabiles quippe hominum personæ, seu nobilium seu ignobilium satù ortæ, ubi aliquantisper seu generis, seu ingenii, seu exercitationis præclaræ radii eluxerunt, deficiunt tandem, attenuantur aliquando, conspectui omnium lucificâ clade semet subducunt. Qvi solus ex altris ceteris est tantus sol, ut, cum exortus fuerit, reliquis sideribus obscuratis appareat solus, tanquam augustissimus Dux, princepsque moderator luminum atque temporum, postquam lucis suæ peramæno accessu lustravit & complevit omnia: disceslu demum præcipitante & occidit, & obit, & extingvitur, & quoniam nocturno non aspectabilis est tempore, abesse existimatur. Quamvis interdum quoque à lucendo nominata luna, & à Sole illuminata, ut, quamcunque ab hac accepit, lucem in terras mittat, subiecta soli, ac oculis mortaliùm opposita, lumen ejus intercipiat obtegatque; multò ampliora tamen ipsa experitur nitoris sui aut emolumenta, aut detrimenta, non tantùm, quando nascentis ejus aliàs hebetiora aliàs acutiora cernuntur cornua, sed &, ubi cum accretione & diminutione luminis, ipsa vicissim constictans, sub menstruam novitatem, aut in anniversaria defectione, laborat, obscuratur, & tenebricola caligine penè fusca obruitur. Quemadmodum paucos ante dies, luna, nocte intempèstâ, sanguinis colore suffuso, omne lumen ferme suum foedasse, & immani circumtulâ occultataque sipario conspecta fuit. Veluti propediem quoque imminens caliginosior solis obscuratio, sollicitorum, sub ipsum occultationis pullæ casum tempusque, tam oculorum quàm animorum observationi & aspectui, evidentissimè monstrabit. Et cetera quidem omnia, quæ intra lunam vel vigent, vel rigent, opera, res, negotia, etiamsi paululum fulgere ac renidere vila fuerint; novissimâ tamen fragilitatis interitusque clade illa obscuratum occultatumque iri aliquando, quoridianus eorum visus & usus, uli quæ familiare decrementum, stragesque vastissima perliberaliter commonefaciunt. Enimvero, quæ aliquantulum admirabilia olim orbis sive ædificia, sive fastigia, sive artificia diligentissimè conspicienda extiterunt, tam cædica, tam funesta, tam ruinosa dudum pensentiscere debuerunt vanitatis fastidia, ut, ne conspicienda quidem amplius, sed diruta, dissipata, everta, tam visui quàm rationi investigantium, acre facessant negotium requirendi ac perscrutandi, quæ olim sedes, quis locus, quod monumentum eorundem apparuerit, claruerit, & in conspectum aliquandiu se dederit. Quapropter animus piorum ac religiosus excultorum institutis, ad ea rectius & multò beatius fertur, contendit, pergitque expeditissimo augustæ fidei cursu, quæ sempiternâ patentia ferentate fidelibus subjiciuntur aspicienturque olim oculis, omni caritura vicissitudine aut oriendi aut occidendi, aut apparendi aut evanescendi. Secessit beatissimè ac penetravit ad gloriosam ejus, qui immortalis æternitatis continetur tenore, usuram aspectus, Vir Admodum Reverendus, Amplissimus, atque præclarissimus DN. M. BALTHASAR GERHARDUS HANNEKENIUS, Templi Mariani Pastor annis & meritis gravissimus.

Qvi,

Qui, quomodo in terris primò cæperit conspici, quo aspectus honorifico optimè resplenderit supplemento, quæve morbosa tandem & mortifera obscuratio aspectabilis ultra in terris esse desierit: continuanda porrò & vitæ, & decoris, & mortis Viri percelebris observatio atque recognitio, LECTORES HONORATISSIMOS perdocebit.

Aditum hujus vitæ & præsentiam ipsi communicaverunt, die secundo *Augusti* mensis A. MDCLXI. *Marpurgi Cattorum*, parentes celebratissimæ commemorationis. Genitor quidem, Vir Maximè Reverendus atque Excellentissimus, DN. D. MENO HANNEKENIUS, Theologus & Superintendens Lubecensis meritissimus, ac celeberrimus; procreatrix verò Nobilissima ornatissimaque Matrona, JUSTINA ELEONORA, Viri Maximè Reverendi, Amplissimi, & Excellentissimi DN. BALTHASARIS MENTZERI Senioris, Theologi Hassiaci longe celebratissimi atque religiosissimi, filia. Magna cura, multus labor, & amplissimum studium impensum fuit infusumque ab optimis parentibus, ut charissima ipsorum progenies in pietate, doctrinâ, virtutis ac morum exercitatione laudabiliter proficeret. Unde adultior paulum committebatur erudite institutioni percelebris Gymnasii *Lubecensis*, uti, auspicio ductuque Virorum clarissimam tunc juventuti formandæ operam navantium, literaturæ elegantiarum particeps evaderet. Povectiora jam inde maturuerant studia doctæ proles, eo usque, ut A. MDCLIX. ad scholas superiores, quas vocant Academias, novellus tunc artium ingeniarum cultor proficiceretur. Effluxit tempus benè multum, per quod nummario largite instructus adjutusque subsidio dilectissimorum parentum, Excellentissimis atque Amplissimis Theologis pariter ac Philosophis, in Academiis quàm plurimis foeliter auscultavit, & solida sapientis sanctæque cognitionis incrementa assiduissimè accumulavit. Brevi post tempore adiens florentissimas *Germanias*, ad Rhenum, *Belgiæque* urbes, perdiligenter observabat, tam quicquid opulentia, nitoris, insigniumque artificiorum hinc inde occurrebat, quàm quicquid obtinendæ insignium notitiæ ac familiaritati Virorum egregiam opportunitatem conciliaret. Circumferens exinde ac reflectens oculos ad gratam sibi propositam Studiorum metam, reversus est, *Lubecam*, sermonibusque sacris ad populum frequenter habitis, palàm exposuit, quàm dignus munere sancto candidatus existeret. Nec defuit fructus & honorificum aliquod emolumentum, tractatæ feliciter cœlesti eloquentiæ Viri præclarissimi; sed accessione dignitatis & fortunæ plus ultra processit, exoptatissimè inclarescens. Anno etenim MDCLXVII. vocissima quintâ *Julii* mensis, *Jacobo* sacra luce, Symmysta *Ædis Mariane* publicâ elegantium vice constituebatur atque declarabatur. Sequentis anni MDCLXVIII. mensisque *Septembris* septimus dies conciliavit ipsi vitæ ac tori sociam Virginem tunc amplissimam atque præstantissimam CATHARINAM, spectatissimi atque integerrimi Viri, HANS STOLTEN, Civis, & Mercatoris primarii filiam. Feracius hoc & fecundius per sedecim annos tranquillè ac leniter continuatum matrimonium, novem testes ac mutui pignora amoris, sex nimirum filios & tres filias familiae stirpique HANNEKENIANÆ suppeditavit & reliquit. Vertente anno MDCLXIX. d. 5. *Augusti* natus filiorum primus, MENO sequente statim d. 6. *Aug.* vitam cum morte commutavit. Primogenita Filia ELISABETA, in lucem suscepta A. MDCLXX. d. 13. *Aug.* cum adolevisset, & politissimo Virginalium ornamentorum apparatu commendatissima existeret, nupsit A. MDXCIV. d. 21. *Maji* Viro Spectatissimo atque integerrimo JOHANNI ~~CEHNÖDEN~~ / Civi ac Mercatori Primario. Quæ maritalis consociatio Admodum Reverendum Virum effecit Avum trium neprium uniusque; nepotis: è quibus adhuc superstites degunt duæ Virgines florentissimæ & scitissimæ, CATHARINA GERTRUD, & ELISABETA, filiarum unâ MARIA ELISABETA, & filio BALTHASARE GERHARDO, mortalitati jam aliquo abhinc tempore ereptis. Alteram filiam natam d. 5. Sept. A. MDCLXXI. domum duxit, Virgineo tumdecere & virtute politissimè enitescentem JUSTINAM ELEONORAM d. 16. Dec. A. MDCXC. Vir plurimum Reverendus & Clarissimus DN. JOACHIMUS HINRICUS ~~CEHNÖDEN~~ / Symmysta *Ægidianus* eximiè meritis. Perjucundum hinc Avi gaudium Venerando succrevit Viro, è quinque in lucem editis liberis, quorum natu major filius THOMAS BALTHASAR brevissimam hujus vitæ usuram percepit, & qui hunc excepit filiolus, vix lucem aspexit; Tres verò reliqui, bellissimi nempè pueri, GERHARDUS HINRICUS, & MENO NICOLAUS, unâ cum filiolâ dulcissimâ CATHARINA GERTRUDE, beatissimo Avo adhuc superstites vivunt. Sed enim progenitus A. MDCLXXIII. d. 5. *Maji* MENO, labente biennio d. 24. Jan. A. MDCLXXV. naturæ debitum solvit. Tertio filiorum JOHANNI GERHARDO ejusdem A. MDCLXXV. mensis *Aprilis*, quinto die participem fecit hujus vitæ; decimo autem die, mortalium numero eum rursus exemit. Quartus in ordine filiorum MENO prognarus d. 22. *Maji* A. MDCLXXVI. è tempore in æternitatem d. 14. *Aprilis* A. MDCLXXVII. transit. Qui ortum habuerat die 28. *Aprilis* A. MDCLXXVIII. quintus natu filius Vir Per-Reverendus & Clarissimus DN. BALTHASAR GERHARDUS HANNEKENIUS, Symmysta Cathedralis vigilantissimus, Matri-


FKTm 17940

matrimonio sibi junxit elapsi anni die 12. *Octobris*, Virginem tunc præstantissimam ornatissimamque CATHARINAM, Viri spectatissimi GERHARDI à *ZBENEN* / Civis Mercatorisqve primarii filiam. Ingressa autem in vitam d. 11. *Martii* A. MDCLXXXI. filia tertia CATHARINA, d. 18. Aug. A. MDCLXXXIII. corpore mortali desit uti, ac è vitâ excessit. Idem sensit exitus e mortali vitâ fatum A. MDCLXXXIV. d. 6. *Aprilis*, sextus filiorum MENO PHILIPPUS, ex quo ante annum, tricesimo nempè primo *Martii* die A. MDCLXXXIII. in illam introierat. Ceterum amplexibus peramati Conjugis creptâ d. 6. *Aprilis* A. MDCLXXXIII. primâ uxore, Admodum Reverendus Viduus secundam conjugii sociam recepit gravissimam celeberrimamque Matronam GERTRUDEM *WERNER* Viri & Civis eximii HERMANNI *WERNER* / Pharmacopole præstantissimi Viduam. Labeatur decima quarta *Aprilis* dies A. MDCCI. cum suffragiis benè consentientibus Pastor Templi Mariani electus, sequente d. 24. *Aprilis* à Viro Admodum Reverendo & Præclarissimo DN. THOMA HOHNSTEDTEN, Pastore Cathedrali & Rev. Ministerii Seniore meritissimo palàm inauguraretur. Justi anxia doloris suppetit, quod, cum religiosi hujus accessione muneris decesserint sensim afflicta ac debilitata ananis & meritis HANNEKENIANÆ vires, præcipuè cum infirmi & icterici corporis inva-lentia magis magisque ingravesceret, haut quaquam inhiberi refranariqve se passa, seu experientissimâ ope medicâ Nobilissimi atqve Excellentissimi Fratris DN. D. NICOLAI HANNEKENII, Poliatri celeberrimi, seu domestico suorum diligentissimam decumbentis curam sustinentium levamento. Neqve enim verebatur adjuvorum perditii vis morbi eum quoqve in suggestu sermocinantem, præsertim nuperis *Januarii* Calendis, non leviter adoriri, lacescere, encravesce, labefacere. Unde diuturno intabescens morbo Venerabilis Senex conjecturâ haud ambigua prospiciebat, continuam membrorum debilitationem, appetitum paltus naturalis attenuatum, soporem imminutum, vires aut nullas aut perexiguas, supremum & mortiferum ipsi adornare destinareqve velle iter. Ad instantem igitur è vitâ hac migrationem piè semet composuit, & ut invictâ fide promior alacriorqve discederet, salutarem novissimumqve commeatum cœlestis epuli religiosè poposcit, & sanctè suscepit. Plenus porro divini desiderii, plenus spei, plenus accurati sensus, circa sextam vespertinam nuper elapsi diei 24. *Aprilis* defatigatum extremumqve effudit spiritum, sexaginta quatuor annis, octo mensibus, & viginti duobus diebus, in honorificâ vitæ pariter ac muneris statione laudabiliter confectis.

Ut ut ergo ipse non ultra in terris jam conspiciatur & adsit celeberrimus Senex; fixa tamen in omnium rectè famam & merita Viri Admodum Reverendi æstimantium animis vivet vigebitqve ejus præstantia perpetua, nec limis invidiorum oculis capi penda; nec cœco ingratorum neglectu violanda aut lædenda. Etenim per insignem Viri præclarissimi & pietatem, & eruditionem, & probitatem, & prudentiam, & propensam de omnibus benè merendi curam, & solertem in obeundo munere sacro vigilantiam, & huic infensentem corporis incolumitatem, conspiciatur adhuc veneraturqve quilibet, cui, vel ab ore docentis pendere, vel singularem virtutum donorumqve ejus fructum percipere contigit. Videbitur itaqve etiam cum non videbitur, oriatur dum morietur, aderit cum aberit Vir optimè de cœtu sacro, de familiâ suâ percelebri, de omnibus bonis egregiè meritis, & ob perennem famæ concelebrationem, gratæ posterorum menti nunquam subtrahetur. Clausis etiam oculis ejus jam patefiant & angustissimè cognoscuntur ea, quæ mortalium oculis sibi relictis nec vidit unquam nec videre potest: & quæ aspectu fidei libenter hausit hæctenus recepitqve, sempiternâ coram intuendi alacritate se observat retineatqve, ut cœlesti dulcedine insaturabiliter expleatur. Vos autem MOERENTES singuli atqve omnes, quos Conjugis, parentis, Fratris, patris, foceri, proximoqve conjuncti Fautoris sanguine, & desiderium, & amor, & cura, & sollicitudo nimio pere tangit angitqve, despiciete invisam enormiter lugendi moram, & respiciete constantius id benignissimum Numen, quod quibuscunqve gravissimè afflictis ac perdolentibus iteratâ videnti ac svaviter prospiciendi promptitudine semet affore pollicitum est: sic sensim ad- verisfatis decrementum, reparata verò felicitatis incrementum, visu jucundius reffecto, & caligine lacrimarum oculis humentibus abstersâ, abundantissimè percepturi.

Sed, quandoquidem seniles Admodum Rev. Dn. PASTORIS exuvix tumulo hodie suo inferentur, supremum illis honoris amorisqve officium, ut novissimo ac frequentissimo comitatu impertiri dignentur atqve pervelint, MAGNIFICI DNN. CONSULIES: Generof. DN. DECANUS: Maximè Rev. & Excellentiss. DN. SUPERINTENDENS: Nobiliss. Consultiss. Expertissimii DN. SYNDICUS, & DOCTORES: Admodum Rev. & præclariss. DN. SENIOR, PASTORES, & SYMMYSTÆ: Nobiliss. Ampliss. & Prudentiss. DNN. SENATORS, PROTONOTARIUS, & SECRETARIJ: omnesque nominis HANNEKENIANI æstimatores atqve Cultores: tam MOERENTIUM vota officiosa requirant, quàm præsens etiam scriptio lugubris demissè ac perdisigenter efflagitat.

R. P. Lubeca d. XXV. Aprilis A. M DCC VI.



ULB Halle
007 678 304

3



V.D.
18





MEMORIAM VIRI

REVERENDI, AMPLISSIMI, ET PRAECLARISSIMI,

DOMINI

BALTHASIS GERHARDI
ANNEKENII,

S TEMPLI D. MARIAE SACRI
MERITISSIMI, GRAVISSIMI,
LECTURIS,

S. P. D.

THUS SVANTENIUS, R.

LUBECÆ,

teris Viduæ B. SCHMALHERTZII,

